



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

2. Contra capitalia vitia, antydota.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

putidissimis fontibus, aut sentinis verius proficiscuntur: A quibus omnibus, ceu certissimis veræ pietatis naufragijs abstinentum est semper Sodalibus; quod ea sensim excipere soleant obliuio Dei & salutis propriæ, ac tandem contemptus Ecclesiæ ipsiusq; Dei, induratio sui ipsius, Infernus deinde, gehennaq; æterna.

PARS SECVNDA.

*Contra capitalia, & cetera iam allata
insigne antydotum.*

VIdetur quidam deuotus contra hæc vitia & peccata, sequentes sententias & decreta, quasi antydotum quædam expendere, & vsurpare solebat.

Contra Superbiam.

Vbi cognoui Deum altissimum pro me extremè humiliatum, nunquam adeò me deprimere potuit homo, quin maiori me vilipensione dignum iudicarem.

Contra Auaritiam.

Vbi cognoui animam meam nulla re posse satari, præterquam solo Deo meo; miratus sum, si aliud præter ipsum quærere debeam.

Contra Luxuriam.

Vbi cognoui corporis mei nobilitatem, & quòd mihi conceditur purissimum corpus Christi sumere in os meum, digni duxi omnibus modis laborare pro perpetua cordis, & corporis puritate.

Nulla

Nulla hominum infidelitas me pertur- *Contra In-*
bare potuit, dum perpenderem quam infi- *cundiam.*
delis Deo meo fuerim ego. Et quoniam
hic motus plerunq; infixus est naturæ ac
moribus, vt euelli ac vinci nequeat, si præ-
uidere hunc possum, ratione reprimo: Aut
si prius occupat⁹ fuerit animus ab indigna-
tione, quā consilio prospici, aut prouideri
potuerit ne occuparetur, meditor quomo-
do animi mei motum vincam, iracūdiam
temperem, ac iuxta diui Ambrosij præce-
ptum, resisto iræ, si possum, cedo, si non
possum.

Vbi gustauī cælestium ciborum dul- *Contra Gu-*
cedinem, nulla terreni edulij me seducere *lam.*
potuit ingluuies.

Vbi cognoui quòd Deus me tantum *Contra In-*
peccatorem in gratiam receperit, non po- *uidiam.*
tui aliquem hominem odisse, propter ip-
sius iniquitatem.

Vbi perpēdi quòd post breuissimum *Contra A-*
laborem eterna conquiratur beatitudo, ni- *cediam.*
mis exiguum arbitratus sum, quemcunq;
ego tolerauero laborem.

Complures vidi loquendo in pecca- *Contra vi-*
tum incidisse, vix quæquam tacendo; Sa- *tiū linguæ.*
pientem ergo esse iudicaui, qui nouit ta-
cere. Hinc iuxta D. Ambrosij monita, lin-
guæ meæ præcepi, vt proferat sermones
libra examinatos iustitiæ, vt sit grauitas

in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus, ut fiam mitis, mansuetus, atque modestus.

Contra iniurias.

Quando aliquis mihi conuitiatur, la cessit, ad violentiam prouocat, ad iurgium vocat; tunc silentium exerceo, tunc mutus fieri non erubesco. Peccator est enim, qui me prouocat, qui iniuriam facit, & me similem sui fieri desiderat. Si retulero contumeliam, dicetur, ambo conuitiati sunt; vterque condemnatur, nemo absoluitur. Iusti esse iudico dissimulare, nihil loqui, tenere fructum bonæ conscientiae; plus committere bonorum iudicio, quam criminantis indulgentiae, contentum esse grauitate morum suorum. Hoc est enim filere à bonis. Occurrit mihi exemplum Dauid, quando maledixit ei Semei. Impium, sibi ipsi poenam esse, iustum verò sibi ipsi gloriam, ac vtrique aut bonorum, aut malorum operum mercedem ex seipso solui.

Contra omnia vitia.

Cum Dominicæ Passionis, & mortis amaritudinem ad memoriam reuoco, nihil adeò est asperum, quod non equanimiter portem.

PARS